

Lazare, veni foras.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Ioánnem

11, 32-45

In illo témpore:

- ³² Cum venísset María [soror Lázari]
ubi erat Iesus,
videns eum cécidit ad pedes eius dicens ei:
«Dómine, si fuísses hic,
non esset mórtuus frater meus!».
- ³³ Iesus ergo, ut vidit eam plorántem
et Iudáeos, qui vénerant cum ea, plorántes,
frémuit spírítu et turbávit seípsum
- ³⁴ et dixit:
«Ubi posuístis eum?».
- Dicunt ei:
«Dómine, veni et vide».
- ³⁵ Lacrimátus est Iesus.
- ³⁶ Dicébant ergo Iudáei:
«Ecce quómo modo amábat eum!».
- ³⁷ Quidam autem dixérunt ex ipsis:
«Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci,
fácere, ut et hic non morerétur?».
- ³⁸ Iesus ergo rursus fremens in semetípso,
venit ad monuméntum;
erat autem spelúnca,
et lapis superpósitus erat ei.
- ³⁹ Ait Iesus:
«Tóllite lápidem!».
- Dicit ei Martha, soror eius, qui mórtuus fúerat:
«Dómine, iam fetet;
quatríduánus enim est!».

- ⁴⁰ Dicit ei Iesus:
«Nonne dixi tibi quóniam
si credíderis, vidébis glóriam Dei?».
- ⁴¹ Tulérunt ergo lápidem.
Iesus autem, elevátis sursum óculis, dixit:
«Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me.
- ⁴² Ego autem sciébam quia semper me audis,
sed propter pópulum, qui circúmstat dixi,
ut credant quia tu me misísti».
- ⁴³ Et hæc cum dixísset, voce magna clamávit:
«Lázare, veni foras!».
- ⁴⁴ Pródiit, qui fúerat mórtuus,
ligátus pedes et manus íntitis;
et fácies illíus sudário erat ligáta.
Dicit Iesus eis:
«Sólvite eum et sínite eum abíre».
- ⁴⁵ Multi ergo ex Iudáeis,
qui vénerant ad Maríam et víderant, quæ fecit,
credidérunt in eum.

Verbum Dómini.